



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Illvstri Regi Ottoni In Romanorum Imperatorem electo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

necessitatibus eum sibi non senserit adiutorem, quare teneatur eum contra celsitudinem tuam in suis negotiis adjuvare, præsertim ex quo favore tuo senserit se juvari. Verùm præter alias cautiones quas poteris ab illo recipere, Ecclesia Romana tam te quàm regnum tuum semper faciet ab ipso securum, & ei, si, quod non credimus, malignari fortè præsumperit, juxta officij nostri debitum se opponet. Vsq̄ue adeo enim regni Francorum diligimus libertatem ut non solummodo contra eum, sed contra omnem hominem qui illud molestare præsumeret, pro ejus immunitate staremus & ejus defenderemus pro viribus dignitatem. Rogamus igitur serenitatem tegiam & exhortamur in Domino, & quasi pro munere postulamus, quòd cum prædicto Rege Ottone amicitias statuas & firmes fœdera veræ pacis, ut ex favore tuo videatur tandem victoriam assecutus. Consideret apud se celsitudo regalis & deliberet cum viris prudentibus & discretis utrum honestati ac utilitati tuæ debeat expedire ut ei contra Romanam Ecclesiam regium favorem impendas qui, prout pro certo creditur & habetur, ad Romanum imperium non poterit pervenire, ac ei publicè te opponas de cujus pro certo promotione speratur. Speramus enim in eo qui est in se sperantium fortitudo quòd postquam Principes de puritate intentionis nostræ ac propositi firmitate per venerabilem fratrem nostrum Salzburgensem Archiepiscopum & dilectum filium Abbatem de Salem & nobilem virum Marchionem orientalem nuntios quorundam ex eis ad nostram præsentiam destinatos reddidi fuerint certiores, & de quibusdam quæ falsò ipse suggesta fuerant plenius intellexerint veritatem, juxta commonitionem nostram à prædicto Duce recedent, & eidem Regi fideliter adhærebunt. Siquidem nuntiis ipsis respondimus in hæc verba, quia secundùm apostolicæ servitutis officium sumus singulis in justitia debitores &c. *in eundem ferè modum ut Duci Zaringsæ usque non abnuunt adherere.* Quare sub illius fiduciæ puritate quam de regia serenitate concepimus cum instantia postulamus ut nonobstante obligatione aliqua, cum accessorium tenere non debeat si non tenuerit principale, Duci eidem auxilium subtrahas & favorem, & cum prædicto Rege componas, & nunc cum tuo noscitur auxilio indigere, ipsum tibi & regno tuo constituas debitorem. Taliter autem super iis preces nostras exaudias sicut à nobis desideras in tuis precibus exaudiri. Datum Laterani.

Sunt aliæ rationes quæ serenitatem tuam à favore Philippi retrahere satis debent & ad Regis Ottonis auxilium invitare. Nosti enim quòd si Philippus, quod absit, imperium obtineret, saltem occasione nepotis, cujus curam sibi vellet ratione sanguinis vindicare, regnum Sicilia occuparet. quod nunc quoque per satellites suos invadere, sed in vacuum, machinatur. Quòd si super hoc compleret, quod avertat, Dominus votum suum, cum imperium ei virorum vires, regnum autem divitiarum copiam ministraret, in superbiam jam elatus aliud cogitaret, & regnum Francorum sibi disponderet subjugare, sicut olim obtento regno prædicto disposuerat

frater ejus Imperator Henricus, affirmans quòd te de cetero ad fidelitatem sibi compelleret exhibendam. Ad audientiam quoque tuam credimus pervenisse quòd serenitati tuæ in Lombardia paravit insidias de ultra marinis partibus redeunti. Cum ergo Dominus te de manu quærentis tuam animam liberarit, debes totis viribus præcavere ne te in priorem necessitatem inducas, neve frustra coneris reddere tigridem mansuetam. Vnde tutius credimus ut eum cadere patiaris qui, si staret, statui tuo propositi fratrum non immemor invideret. & alieno eum ictu prosternas vel saltem prosterni permittas quem, si subsisteret & imperij monarchiam obtineret, non posses sine multo gravamine sustinere. Potes autem per Regem Ottone & hostem illum deicere & ab eo nunc talia obtinere quæ non posses ab ipso postquam plenius invalesceret impetrare. Vnde festinatione credimus opus esse, cum ad promotionem ejus via sit paratissima & aperta. Ad hæc, serenitatem tuam nolumus ignorare quòd super imperij Romani negotio quicquid nobiscum fecerit & pro nobis, ratum permanebit & firmum. Si quid autem faceret, & maxime contra nos, quam utilitatem & stabilitatem posset habere circumpectio regalis advertat. Præterea, sicut damnosum reputares & grave si Romanus Pontifex contra regnum Francorum cuiquam & maxime Imperatori faveret, ita grave nobis existeret & molestum, si Rex Francorum cuiquam contra Romanam Ecclesiam, præsertim super imperio Romano, faveret. Absit igitur ut vel Rex Francorum deferat unquam Romanam Ecclesiam, vel Ecclesia Romana desit unquam regno Francorum. Datum Laterani.

ILLVSTRI REGI OTTONI IN
Romanorum Imperatorem electo.

Quantum Deo debeas, quantumque sedi apostolicæ tenearis, si humiliter perscrutetur & diligenter inspiciat regia celsitudo, in ejus semper humiliabitur aspectu qui exaltat humiles & potentes de sede deponit, & in timore Domini suæ dignitatis primitias solidabit, ut in eo ad regendum imperium spiritum sapientiæ & intellectus accipere mereatur, (nam initium sapientiæ timor, intellectus bonus omnibus facientibus eum) apostolicæ verò sedi exhibebit in perpetuum sinceræ devotionis affectum, & ad defensionem ipsius potenter & prudenter intendet, utpote per quam præcipuè, post divinæ gratiam bonitatis, se imperio genitum recognoscet, & sic eam tam in religione fidei Christianæ quàm honoris augmento suam confitebitur genitricem, utpote quæ de se dicere verè potest: *Ego plantavi, ego rigavi, & planta mea dedit Deus incrementum.* Sanè propter dona naturæ quibus te Dominus, sicut accepimus, præ tuis participibus adornavit, propter munerata gratiæ quæ in te copiosius & superabundantiùs benignus effudit, ad imperij Romani fastigium te vocare disposuit; ut per ipsum misericorditer & mirabiliter exaltatus, ad ea quæ sunt ejus intendas, quærens judicium, oppresso subveniens, pupillo judicans, defendens vi-
duas, superbiorum colla conculcans, & ad vin-

Epist. 65.

dictam malefactorum, laudem verò bonorum concessam tibi exerceas martialis gladij potestatem, Romanam autem Ecclesiam, quæ post Deum promotionis tuæ principium posuit, & in proximo dante Domino felicis manum consummationis apponet, tantò ampliùs veneris quantò exuberantem circa te gratiam beneficiorum ipsius teneris gratiùs acceptare; ut cum se regia serenitas exhibuerit gratam, gratiam ex gratia mereatur. Ut autem celsitudini tuæ plenius pateat apostolicæ constantia firmitatis, & de ipsa non possis in posterum aliquatenus dubitare, quid nuper apud nos & à nobis sit gestum, qualiter responsum quorundam Principum nuntiis, serenitati tuæ venerabilis frater noster Archiepiscopus Maguntinus & nuntij tui plenius intimabunt. Cum ergo nos à proposito nostro non possimus aliquatenus revocari, licet multa nobis & magna promissa fuissent, & speremus quòd multi Principum, postquam per nuntios ipsos intentionis nostræ puritatem agnoverint & intellexerint firmitatem, ab eodem Duce recedent & tibi fideliter adherent, serenitatem tuam monemus & exhortamur attentius quatenus & tu constantiæ virtutem assumas, nec te circumveniri ab eis aliquatenus patiaris: quia cum nos non potuerint ad suum consilium inclinare, te ac tuos aggredientur promissis, & quibuscunque modis poterunt circumvenire tentabunt. Vnde propensiore benignitatis affectu studeas retinere quos habes, & modis quibus poteris alios ad favorem & obsequium tuum trahas. Speramus enim in Domino quòd Principibus qui sunt tecum in regia fidelitate solidè persistentibus, in proximo imperij monarchiam juxta nostrum & tuum desiderium obtinebis. Nos autem præmissis iis omnibus quæ à regali magnificentia debent honorificentia Ecclesie Romanæ præmitti, ad coronam imperij te disponimus evocare. Tuam igitur erit procurare de cetero qualiter & quo tempore iis quæ diximus præmittenda præmissis ad apostolicam sedem, sicut oportet & expedit, coronandus accedas. Ceterum quàm studiosè negotium tuum apud carissimum in Christo filium nostrum Philippum illustrem Regem Francorum promovere curemus, in proximo, dante Domino, desideratus declarabit affectus, de quo spem bonam concepimus ex litteris etiam quas Rex ipse nuper nostro apostolatu destinavit. De tuorum autem successuum prosperitate, quam per regias nobis litteras intimasti, gaudemus; utpote qui felices eventus tuos quasi proprios reputamus, & in exaltatione tua Romanam Ecclesiam credimus exaltari. Datum Laterani.

NOBILI VIRO DVCI BRABANTIAE,
& uxori eius.

IN iis quæ fratres nostri apostolicæ sedis Legati statuunt, non auctoritate propria, sed nostra procedunt, à quibus vocantur in partem sollicitudinis & suæ legationis accipiunt potestatem. Vnde tantò libentius institutis eorum robur apostolicæ confirmationis impendimus quantò magis ipsis in institutionis etiam actione non potestas propria, sed nostra potiùs

auctoritas suffragatur. Cum ergo venerabilis frater noster Prænestinus Episcopus apostolicæ sedis Legatus super matrimonio quod est inter carissimum in Christo filium nostrum illustrem Regem Ottonem in Romanorum Imperatorem electum & carissimam in Christo filiam nostram natam vestram Domino disponente contractum, de speciali mandato sedis apostolicæ dispensatit propter multam utilitatem quæ ex hoc imperio nascitur proventura, nos dispensationem ipsam ratam habentes, auctoritate apostolica confirmamus &c. usque communimus. Nulli &c. Datum Laterani.

COLONIENSI ARCHIEPISCOPO.

EXpedit sapius persecutionis ollam succendi, ut in fornace aurum & fides in persecutione probetur, & scoria dividat ignis ab auro, & necessitas discernat à fidelibus infideles. Flagellis enim palea excutitur à frumento, quæ postmodum ab area per ventilabrum exufflata triticum congregatur in horrea observandum. Sanè si non intervenisset necessitas, quæ adhuc pro parte nascitur imminere, nec in tantum tua parvisset puritas, nec usque adeo tua fuisset probitas approbata. Passus est igitur Dominus te tentari, ut faceret in tentatione proventum, & constantiam tuam omnibus demonstraret. Ecce etenim jam apparet quàm sis Ecclesie Romanæ devotus, quàm fidelis imperio, quàm zelator honoris Coloniensis Ecclesie, cujus tueris potenter & viriliter libertatem, quàm etiam in proposito tuo constans, cum quibusdam nuntibus dicaris inflexibilis & invariabilis permansisse. Siquidem tales decet esse columnas Ecclesie, tales pastores gregis dominici, qui non vacillent in partes, sed immobiles potiùs persistentes, innitentes sibi superiores sustineant & inferiores defendant, nec fugiant viso lupo, sed opponant se potiùs ascendentibus ex adverso. Licet autem tuæ devotionis constantiam & fidei puritatem experti ad honorem tuum intenderimus & profectum, redeunte tamen dilecto filio Egidio Acolytho nostro tantò ampliùs sumus ad tuam dilectionem inducti quantò de sinceritate tua ipse nos reddidit certiores; quamvis etsi ipse taceret, opera tamen tua perhiberent testimonium veritati. Ut igitur hostiæ caudam immoles & talarem cum Ioseph tunicam induaris, ut perseveres in finem, ut quod laudabiliter incepisti laudabiliùs valeas consummare, fraternitatem tuam monemus & exhortamur attentius & per apostolica tibi scripta mandamus quatenus carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo, quem ad regnum post Dominum præcipuè tu vocasti, fideliter & potenter assistas, & quoscunque poteris ad devotionem ejus & fidelitatem inducas. Ecce enim citò dabitur laboribus tuis finis, citò ei quem tu plantasti & nos rigamus dabit Dominus incrementum, & in eo tam te quàm Coloniensem Ecclesiam misericorditer & mirabiliter exaltabit. Persistas igitur in incepto, & alios ad perseverantiæ virtutem inducas; quoniam merebitur perseverantia vestra coronam, & nomen tibi comparabitur sempiternum. Tu ergo cum aliis tali-

YY y y iij

Epist. 67.

Epist. 66.
Vide supra
epist. 23. &
infra epist. 111.
118.